Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2079

Quelle:
Copyright:

co beneficium aliquod eccleſiaſticum conferat.

DXLVIII.

308 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 41. f. currente calamo ſcriptus, multumque ſitu paſſus inſcribitur: *R. Archiepiſcopus Armachanus contra fratres ordinis Mendicantium.* Et mox: *In nomine patris et filij et ſpiritus ſancti et virginis Marye dei matris. Amen. Propoſitio R.* (Richardi Radulphi f. ſive Fitz-Ralph) *Archiepiſcopi Armacani et Primatis Hybernie. facta in Conſiſtorio coram Domino Papa* (Innocentio VI.) *et Cardinalibus alijsque Prelatis ad vtilitatem Cleri et populi chriſtiani ſuper materia mendicitatis et priuilegiorum. contra fratres de ordinibus mendicancium quibuscunque. aput Auinionem die octaua menſis Nouembris Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo quinquageſimo ſeptimo.* Thema: *Nolite judicare ſecundum faciem. ſed juſtum Judicium judicate. Jo. VII. Capitulo.* Initium: *Pater Sanctiſſime in principio mei ſermonis* &c. Adi *Cod.* anteced. ubi pluribus de hoc Opere actum.

DXLIX.

233 Codex chartaceus lat. varii Aevi, Folior. 108. f. continet ſequentia: I. Epiſtolam *Luciferi* ad Praelatos Eccleſiae, quae incipit: *Lucifer princeps tenebrarum triſtia profundi regnans Acherontis imperij* &c. et jam alias pluries notata eſt.

II. *fol.* 1. p. 2. absque titulo: *Guilielmi de S. Amore* Doct. *Pariſ.* Tractatus *de Periculis noviſſimorum temporum,* contra Ordines Mendicantium. Indicatum eſt pluries hoc opus, etiam *Cod.* DCCCIX. ſed fine mutilum; in praeſenti integrum excurrit prout in editione *ibid.* citata, ſed *Prologus* contractior eſt, et ab his verbis orditur: *Quia nos vacantes ſacris ſcripturis et exponentes eas attendimus in illis pericula noviſſimorum temporum* &c. Subſcriptio ad calcem: *Explicit abrenunciacio contra pſeudo predicatores.* Confer et *Cod.* DXLV.

III. *fol.* 11. p. 2. absque titulo Tractatus *contra Mendicantes*, ſeu *de Confeſſione proprio Parocho facienda.* Incipit: *Obedite prepoſitis veſtris et ſubiaceatis eis* &c. et IV. *Articulis* conſtat: *de conſitentis obedientia, de confeſſionis efficacia, de confeſſione ordinario, de confeſſione adventicio. Richardi Armachani* et *Guilielmi de S. Amore* aſſecla eſt Autor, moderatus tamen; ait enim in Prooemio: *Nullum enim erroneum intendo dicere. Abſit hoc a me. Quod ſi contra intentionem meam eſſet in hoc tractatu erroneum aliquid ab eccleſia iudicatum ex nunc reprobo et reuoco* &c. Tria haec Opuſcula ſub exitum Sec. XIV. deſcripta videntur. Quae vero ſequuntur ad XV. pertinent.

IV. *fol.* 23. Conſilia quaedam ad Sectam *Huſſitarum* reprimendam,